Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 267
Quelle:
Copyright:

ritatis alloqui te presumit factura manus tue &c. Nihil hujusmodi in *Richardi Opp.* edit. *Colon.* 1621. 4. bene vero inter *Anselmi Meditationes n.* XIII. *de Christo* edit. *suprac.* p. 225. *Gerberonio* in *Censura* praevia Stilus tamen dispar visus est, aitque primum inter *Anselmiana* editum a *Raynaudo* ex unico *Bigotii* Codice. Definit: *et regnum in solidum permanens in sec. sec. Amen.*

VIII. *fol.* 287. p. 2. Index rerum et quaestionum tractatarum in superiore Lectura in *Marcum*, et inchoatus in *Zachariam.*

IX. *fol.* 290. *Dubium Vtrum meum et tuum sit de lege nature.* Verum noli credere huic Titulo. Sequuntur enim ex erudito quodam *de Autoritate Conciliorum Generalium* Tractatu Pars *Capitis* 49. *Caput* 50. et 51. cum *Capitis* 52. initio, et quidem sic: *Vnde ibidem dicit ille Doctor tunc, examinator autenticus et finalis Judex doctrinarum fidem tangentium est generale concilium. Intellige sic ut premissum est qualificatum scilicet legitime congregatum &c. prout hoc quidem in magna constantiensi sinodo est diffinitum* &c. Agitur deinceps de variis Ecclesiae Acceptionibus; eam errare non posse; quae sit, quae nunquam erraverit, atque errare non possit, et sic ad Concilia generalia devenitur. De tempore scripti Operis liquet ex his C. 51. verbis: *ut patet de tribus nostro tempore successive congregatis concilijs, scilicet constanciensi Senensi et basiliensi;* Patriam vero *Germaniam* putem e citato c. 50. *Henrico de Hassia.*

CLXXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 151
Folior. 278. f. per duas columnas bene scriptus, et rubricis enotatus hanc Notam praefert: *Iste liber datus est ad librariam Collegij ducalis ex parte venerabilis viri Magistri Theodrici de hamelburg doctoris Theologie. cui deus retribuat in vita eterna.* Atque hic Vir cognomine *Rudolphi*, Canonicus *Vien.* patria *Franco* Annis 1413. et 17. Academiae Rector praefuit. Codex porro Autoris nomen tacet, et ἀνεπιγράφως incipit: *Glossa. Inter cetera incarnationis christi misteria que ysayas prophetа diligenter et aperte prenunciat* &c. sed in Theca anteriore legas: *Glosa continua super Lucam*, quibus minute superscriptum, *Sanctus thomas de aquino.* Rite quidem; est enim Pars *Continui*, seu *Catenae Aureae* in IV. Evangelia magni illius Theologi e PP. locis lectae, quae ab a. 1470. pluries typis excusa fuit, ut videre est in *Bibliotheca Ord. Praed.* T. I. p. 326. ubi simul contra *Petrum de Alva* Franciscanum disputatur totum istud Opus sodali suo *Pontio Carbonello* adjudicanti, dissentiente tamen ipso Ordinis M. Bibliothecario *Luca Waddingo*, qui *Carbonelli* Opus *Commentaria*, seu *Catenam sanctorum Patrum in universam sacram scripturam* vocat, servarique manu scriptum VIII. Tomis in *Toletana* Suorum Bibliotheca